

EDITORIS

MONITUM.

REM feci hac ætate novam, incredibilem, « antediluvianam, » timiditatis plenam vel audaciæ — Censores mihi audire videor magna clamantes voce per diaria: « ignaviæ et inscitæ » — esto: inscitæ igitur plenam et ignaviæ; sed æquam tamen atque legitimam. Anapæstum, pedem innocentissimum, criticis eruditæ factionis manibus e sedibus avitis per vim tractum, jure postliminii restitui, codicibus quidem conspirantibus. Nam quoties obvia fuerit lectionum varietas, illum non admittere velim; nec quoque admissurus, si lenis eum excludendi modus præsto aderit. Sæpissime grammaticorum novorum morositatem mirari accidit, qui, quum omnibus tra-